

P V I S

1 6 1 8

- | | |
|--|--|
| <p>Leonardi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptiis dicitur.</p> <p>II. Berzmani paraphrasis Psalmi 121. 91. 125. 124.</p> <p>III. Berzmani paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.</p> <p>IV. Berzmani paraphrasis Psalmi 08.</p> <p>I. Berzmani Epipemphion Psalmorum 91. 97.</p> <p>VI. Berzmani Psalmi 104. 0. 19.</p> <p>VII. Poletani Paraphrasis Prometei Iona.</p> <p>VIII. Munderphei paraphrasis Iona.</p> <p>IX. M. Iacobi Gregorii Iona.</p> <p>X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.</p> <p>XI. M. Theodori de Nativitate Christi.</p> <p>XII. Waltzeri Oda de Redemptionis Opere.</p> <p>XIII. Oritii de Peccatis Christi ad Inferos.</p> <p>XIV. Pomauii Heptas simulane Resurrectionis.</p> <p>XV. Stentorii ubi impudentissimis.</p> <p>XVI. Trautmanni instructio p vero Lutherano.</p> <p>XVII. Bratorii Epistola Germaniae ad Electores.</p> <p>XVIII. Moiti ex Auma ad Christianum Pr. Abbat.</p> <p>XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. Abbat.</p> <p>XX. Henna ab Eichen ad Maunicium Pr. Episc.</p> <p>XXI. Abrahami Cremeri ad Electorem Brand.</p> <p>XXII. M. Imbingeri Statulatio in Natalem Rudolphi Principis Anhaltini.</p> <p>XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. Pr.</p> <p>XXIV. Berzmani Ecloga Rudolphus.</p> <p>XXV. Bromii Nuptiis ratis Rudolphi Pr.</p> <p>XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptiis eiusdem.</p> <p>XXVII. Parentalia Augusto Electori a D. Maiore Sabita.</p> | <p>XXVIII. Epistola Johanni Ernesto Pr. Pr. Anhaltino v Alberto Voite dicitur.</p> <p>XXIX. Festschii in obitum Eiusdem Principis.</p> <p>XXX. Angeli ad Baronem de W. Pr. Pr.</p> <p>XXXI. Memoriae Damolii Diepholdii.</p> <p>XXXII. Abrahami Cremeri de promotione ad Pr. Pr.</p> <p>XXXIII. Propemptica Fyffelio et Cremeri dicitur.</p> <p>XXXIV. M. Victori, cum renunciaretq Rector.</p> <p>XXXV. Oda Sapphica in Doctores Honoratus Fyffelii &.</p> <p>XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cr. Pr. Pr.</p> <p>XXXVII. Merzmanni in honorem Magisterii Coppenii XX juvenum.</p> <p>XXXVIII. M. Krotii in Magisterium Haberlandi.</p> <p>XXXIX. In Magisterium Coppenii Bethmanni Herdesiani. Christiani Vopleri. Abrahami Theopoldii.</p> <p>XL. M. Coppenii Gratiam. Pr. Pr. Pr. Pr.</p> <p>XLI. De dignitate Consulari Trevesi.</p> <p>XLII. De dignitate Notariatus Gelami.</p> <p>XLIII. Apocryphorum Politicorum Regula.</p> <p>XLIV. Nuptiis Petri a Jena.</p> <p>XLV. M. Puchneri.</p> <p>XLVI. M. Richardi.</p> <p>L. Wolfgangi Hanen.</p> |
|--|--|

Ec. 11



71

EPITHALAMIA
 IN SOLENNEM NVPTIARVM FESTI-
 VITATEM VIRI,
 REVERENDI CLARISSIMI ET DOCTISSIMI,
Dn. M. JACOBI VVE-
RENBURGII HAMBUR-
 gensis, Ecclesiæ Patriæ ad D. Petri PASTORIS
 S P O N S I,

ET
 Lectissimæ honestissimæq; VIRGINIS
M A R I Æ,

Viri, Reverendi, Excellentissimi & Clarissimi,
 Dn. SALOMONIS GESNERI, S. S. THEOLOG.
 Doct. & in celeberrima VVittebergenfi Academia Profefs. P.
 Templi arcis præpositi, facultatisq; Theologicæ Senioris
 dignissimi & fidelissimi, p. m. relictae FILIÆ,

S P O N S Æ,
 XVI. Cal. Octobr. M. DC. X. Hamburgi celebratam,

S C R I P T A
 Debitæ observantiæ & gratitudinis ergo
 In Academia VVittebergenfi ab
A M I C I S E T D I S C I P U L I S,

ΕΤΕΟΜΗΝΗΜΕΡΟΔΙΣΤΙΧΟΥ
 ILLVXI LVX qVarta qVater SepteMbrls In aLtIs
 IaCobl Castl sponfa CVbILe sVblt.

Martinus Hayneccius Gerlsd. alum. Elect. Saxon.

VVITEBERGÆ, Typis Martini Henckelij, Anno 1610.

31. 17.





Displicuit tibi num Iuuenis, qui dixerat ἄπρ
Matri suadenti festa paranda tori?
Nil minus: exposcunt validas nam vincla verenda
Vires: mensq; bonis erudienda prius.
Grandior ut placet idem, commonefactus eadem,
ἄπρ ἐπ, respondens, jura marita volo?
Displicet & sacri veluti profanus habetur
Contemptor thalami, desidiosus homo.
Ἐγκρίτως ergo sociam, florente juventa,
Seligis excellens dotibus ingenij.

συνήδμεν & F.

M. Christophorus Crinesius Schlacco-
vvaldo-Bohemus, Colleg. Philos.
Adjunctus.



SPONSE summis Ingenio viris
Æquande, summis digneq; honoribus,
Efferre qua dignè Camœna,
Tēvetuosvè valebo amores!
Primis ab annis, non sine gloriā
Summā, sacratis campi Heliconij
Nutritus antris cum fuisses,
Indolis exseruisse dona
Miranda, amasti: Dein penitissimos
Rerum recessus in SOPHIA abditos,
Cryssippi acervum, ac multinodos
Philosophūm laqueos, tenere,

Quin

Quin & potenter laudis aculeo,
Industriores discipulos dare,
Magnos amores extitisse,
Magne JACOBE tuos, cerébri
Vis, Herculanis functa laboribus,
Et paginæ tot, (non sine Pallade)
Elucubrataq; hic catervæ
Tot thesium, satis approbarunt.
Post arctiori fœdere, firmiter
Amore juncti Theologiam sacram,
Verbum DEI summè verendum,
Relligionis apex ut esses.
Vindexq; sacri dogmatis, & vigil,
Mucrone pugnans fortiter entheo,
Ne colla Calvi viperina
Christiadùm noceant cohorti.
Et ut doceres, nexu admantino
Quàm ambo ferantur: *nemo Papam oderit,*
NI CHRISTUM amârit: nemo amârit
CHRISTUM, odio Papam habere temnens.
Nunc SPONSE, ne te flamma Amathuntia
Extinguat ardens, frigus amabile
Prætendis, & fessus medelam
Expetis, & medicam puellam.
Dulcè loquendo blanda levamina
Quæ suggerat, quæ vomere corcula
Oppressa curarum reducat,
Læritiæ ad liquidas scatebras.
O ritè factum! & Ô MARIAM tuam
Suavem, venustam! & Ô MARIAM tuam
Castam, probatam, & sat decoram
Laude pudicitia, puellam.
Quâ suavior non ipsa suavitas,
Nec est venustas ipsa venustior,
Vel castitas non ipsa casta,
Ipse decorq; magis decorus.

O quam sonoros consona civium
Dat turba plausus: totaque patria
Prægestienti cum catervâ
Prosequitur tua vota voce!

Et jure. Nam fas plaudere cum bonis,
Dolere ceu fas triste dolentibus:
Hoc ipsa virtus, & probus mos
Precipit, & pietas beata.

Hæc, non Chimææ flamma vaga ignea,
Rhamnufidis nec noxia spicula
Turbent, Alecto, nec Megæra,
Tisiphone, neque tristis Ate:
Sed tuta semper pax habitet torum,
Pax Noctiluçæ prolificæ comès,
Nunquam sine almâ faustitate,
Et sine lætitiâ sùavi.

Ut SPONSE lætus secla Mathusalæ,
Sed SPONSA vatis læta Sybillinæ
Vincatis. O quam corde & ore
Hoc precor, hoc voveo! VALETE.

Debita ἱεραπείας ἐργὸν F.

M. Iohan. Georg. Brunnerus Ratisp.

Mortis ô Heliconij benigne
Cultor, ô Charites piæ sorores,
Et casti thalami jugator Hymen,
Qui jungis lepidis viros puellis,
Adesto atq; hilârô die ferenam
Indutus faciem, & suave olenti
Cinctus tempora anaracô, vocali
Nuptiale canas ab ore carmen.
Namque Cypridos ille ocellus, alma
Gesneri suboles, venustiorum
Flos quæ purpureus puellularum,
Pulchra & virgineæ corona gentis,
Jungit connubio sibi JACOBUM.

WVERN.



VVERNBERG, moribus, eruditione

Clarum, qui teneris piè ab annis

Extitit Clarij colonus horti.

Eja macte tuis Apollo Musis,

Et vos ô Charites meæ sorores,

Et fausti thalami jugator Hymen,

Hûc hûc candidulos pedes movete, &

His rædis bona verba ferte adæquè:

Vivat Nestoreum Iacobus ævum,

Cumæosq; Maria degat annos:

Fœcundus thalamus jugalis esto,

Atq; ex parte simul beatus omni.

Sit constans animis utrisq; flamma,

Cunilis frugibus domus referta,

Se fides & amor simul salutent:

Sit ratum, ô Charites piæ sorores

Et fausti thalami jugator Hymen.

Observantia ac boni ominis ergò cecinit

Martinus Hayneccius Gerlsdorff.

Alumn. Elect. Saxo.

Romisère mihi Musæ dictare Camænas
Quando exiget necessitas.
Et quia lux hodierna jubet me pangere versus
Conscendo montis ardua
Culmina Parnassi, & crebris hortatibus insto
Mihi ut datam servent fidem.
Sed mihi materiam jam carminis esse relictam
Nullam, insolenter garriunt.
Cum, pro more meo, tantum puerilia tractem
Peto modis SPONSE omnibus,

A 3

Hæc

Hæc ne despicias indoctâ scripta Minervâ,
Hinc vela pandam carminis.
Connubij quondam juvenis sibi foedere nympham
Aptam volebat jungere.
Quæ secum placidè spacium vitæ exigat, & rem
Sibi augeat domesticam.
Talia cum dubio secum sub corde volutat,
In his sibiipfi defuit
Consilio, ergo dicitur accessisse *Davidem*
Sponsum, inquit, tres me ambiunt,
Prima quidem virgo, cui dos non ampla relicta est
A mortuis parentibus,
Sed tamen hanc ornat pietas, faciesve decora
Ac laude digna castitas.
Altera bis quatuor vivendo lustra peregit,
Viroq; digna creditur,
Et primos nondum est *Lucinæ* experta labores,
Viroq; nupsit antea.
Tertia curva meat tornato innixa bacillo,
Illamq; rugæ fordida
Deformant, & bis celebravit tempora tædæ,
Sed pollet æris copiâ.
Ex tribus his quæ Rex potior tibi *Magne* videtur
Mihi dicabo propriam.
Rex risum tollens has edit pectore voces,
Miror tuam dementiam,
Filius ecce meus, quem portat arundo, caballi
Instar superbi, vertice,
Ex his quæ conjunx tibi fit ducenda docebit,
Abi foràs, tibi obviet.
Vix egressus, eques puerilis se obtulit illi,
Ad hunc pedem fert, inquit:
Siste puer, longo non te sermone morabor,
Ducamne pulchram virginem?

Ser-

Servat equum loris puer, & dat ab ore loquelas
 Si Vis, & ictu Verberis.
 Cogit equum, juvenis revocat, pergitq; rogando,
 Aut vis, ait, cubilia
 Cum viduâ ut sociem, quæ nunquam gignere visa est?
 Quid quæris, inquit, SI VIRVM
 TE CVPIT, atq; viâ, quâ cæpit pergere, pergit,
 Sed sibilis ingentibus
 Tardat iter pueri, juvenis sic ora resoluens
 Anumne ducam divitem?
 Tunc stimulabat equum puer, ac equitabat in orbem,
 Et clamitabat ocyus.
 Aufuge ne meus acer equus tibi calcibus obsit,
 Aut dentibus te mordeat.
 Ergo tuum thalamum quia Vir clarissime Virgo
 Intrat decora moribus
 Ac pietate, & præstanti prognata parente,
 Laus cujus ac ingens honos,
 Et nomen clarum, monumentaque docta manebunt
 Dum stabit orbis machina.
 Fortunam verè ex animo tibi gratulor istam,
 Deumque supplex invoco.
 Ut, quæ suscipitis socialia fœdera, servet,
 Vestrumq; amorem duplicet.
 Et vobis adsit semper dum vivitis unâ
 Vitamq; vobis proroget.

Johannes Ragerus Sultzbachius Palat.



T miser & quavis merito vir parte relictus,
 Dicitur, auxilio cui sine vita perit.
 Sic quoq; dimidio saltem vir corpore vivit,
 Rebus non socia subveniente suis.

Ergo DEI castos laudans benè Spiritus ignes
 Conjugium vero, jussit amore coli.

Ergo

Ergo tibi socio vitæ pudibunda cubili
 Filia Gesneri, Sponse, relicta, datur.
 Scilicet eductam decet hac ratione puellana
 Quærere; quæ verbi sit studiosa sacri.
 Cujus & infames nulla ratione parentes
 Christicolam studeant, cum probitate fidem,
 Gratia susceptum seruet suscepta cubile,
 Sitis & alterutri, triste per omne duces.
 Tu tibi junge tuam solitoq; favore Maritam;
 Cumq; viro certes ignibus ipsa tuo.
 Nec DEUS officij stantes in tramite cunctos
 Deseret, impositum sed relevabit onus.
 Prolis & ut surgat numerus dabit uxor, ad annum
 Matris ut acquirat nomina virq; patris.
 Conjugium tibi erit fælix vereq; beatum,
 Et Christus secum cuncta bona ipse feret.
 Ut magis experiare tuis mea jungito vota,
 Irrita sit precibus litera nulla meis.

Gratitud. ergò F.

Johann. Müllerus Ulmenfis Suevius.



Andem etiam mea vota fero, Clarissime SPONSE,
 Quæ oris ab ingenua simplicitate cadunt.
 O DEUS, es casti qui fautor & autor amoris,
 His age conjugibus dexter adesto, precor.
 Nestoreos SPONSUS vivat feliciter annos,
 SPONSA QVE Cumæi secula vatis agat.
 Commoda nec desint domus sua, nec sua mensa:
 Gaudia sint tabula, gaudia sint thalamo.
 Ut letus letâ vivat cum conjugè conjux,
 Eventum voto da bone CHRISTE bono.

Præcep. & benef. F.

Johannes Heybergerus, Schlammin-
 gensis Styrus.

F I N I S.

*Id 4212.
8.*


ULB Halle 3
002 391 589




So

Me
1017







I A
 RVM FESTI
 I,
 T DOCTISSIMI,
I VVE-
LAMBUR-
 Petri PASTORIS
 I,
 I R G I N I S
 Æ,
 & Clarissimi,
 S S. THEOLOG.
 Academia Profefs. P.
 heologicæ Senioris
 lictæ FILIÆ,
 E,
 amburgi celebratam,
 A
 ndinis ergo
 nsi ab
I P U L I S,
 ov
 reMbrls In aLtlS
 lLe sVblt.
 rlsd. alum. Elect. Saxon.
 ckelij, Anno 1610.

71

